

www.e-rara.ch

**Omnium operum divi Eusebii Hieronymi Stridonensis Tomus
primus[-nonus]**

Hieronymus, Sophronius Eusebius

Apud inclytam Basileam, [1516]

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-150989>

[Ad Damasum]

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

C reliquimus. Alioqui ubi legimus Hieronymi domū, hæreticorum persecutionibus fuisse subuersam. Nisi forte hoc sentit de mutata sede: qua de re meminit in epistola superiore.

HIERONYMVS APRONIO.

Nescio qua tentatione diaboli factū sit: ut & tuus labor & sancti Innocēti presbyteri industria, & nostrū desyderiū ad præsens nequaquā uideatur habere effectū. Deo gratia, quod te sospitē & fidei calore feruentē, inter ipsa tentamēta diaboli cognoui. Hoc meū gaudiū est, quando in Christo audio filios meos dimicare: & istū celū in nos ipse cōfirmet cui credimus: ut pro fide eius sanguinē uoluntarie fundamus. Euerfam nobilem domū funditus doleo: & tamen quid in causa sit, scire nō potui. Neq; eū portitor litterarum nosse se dixit. Vnde dolere possumus pro amicis cōmunibus & Christi, qui solus potēs & dñs est: & eius clamentia deprecari: licet ex parte dei mereamur offensam, qui inimicos dñi fouerimus. Optimū autē facies, si cunctis rebus omissis, orientē & præcipue sancta loca petas. Hic eū quieta sunt omnia. Et licet uenena pectoris non amiserint: tamen os impietatis non audent aperire: sed sunt sicut aspidēs surdæ & obturantes aures suas. Sanctos fratres saluta. Nostra autē domus secundū carnales opes, hæreticorū persecutiōibus penitus euerfa, Christo propitio, spiritualibus diuitijs plena est. Melius est eū panē manducare, q̄ fidem perdere.

ARGVMENTVM EPISTOLAE SEQVENTIS.

Hanc epistolam scripsit, cum primū in Syriam demigrasset, & in ea habitaret parte, quæ Antiochia proxima est. Quo tempore factiones Arrianorū, q̄q; expulsa plariscq; locis, tamen in aliquot adhuc ecclesijs, aut regnabāt, aut ambiebant regnū. Antiochena ecclesia, iam pridem magnis rerum uicibus iactata, uidebatur adhuc Arrianam hæresim sapere, & tres hypostasēs, ab omnibus exigebat. Eam professionem Hieronymus suspectā habens, cōsulit Damasum Romanæ urbis episcopū, ut suis litteris significet, num eam sequi debeat: præmonens illū, uenenū latere in uerbis, ne Campensibus id ambientibus assentiatur. Est autem epistola accuratius scripta, utpote ad eruditū pontificem, de re quæ cordi erat.

HIERONYMVS DAMASO.

D

Noniam uetusto oriens inter se populorum furore collisus, indisscissam dñi tunicā & desuper textam minutatim per frustra discerpit: & Christi uineam exterminant uulpes, ut inter lacus cōtritos, qui aquā nō habent, difficile ubi fons signatus, & hortus ille cōclusus sit, possit intelligi: Ideo mihi cathedram Petri & fidem apostolico ore laudatā censui consulendam: inde nūc meæ animæ postulans cibum, unde olim Christi uestimēta suscepi. Neq; uero tanta uastitas elementi liquentis, & interiacens longitudo terrarum, me a preciosa margarita potuit inquisitione prohibere. Vbiq; fuerit corpus, illuc cōgregantur aquilæ. Profligato a sobole mala patrimonio: apud uos solos incorrupta patrū seruatur hæreditas. Ibi cespitem terra secundo, dñici seminis puritate cetero fructu refert. Hic obruta sulcis frumenta, in lolium auenarq; degenerant. Nūc in occidente sol iusticiæ oritur: in oriente aut lucifer ille qui ceciderat, supra sydera posuit thronū suum. Vos estis lux mūdi, uos sal terræ, uos aurea uasa & argentea: hic testacea uasa uel lignea, uirgā ferream & æternū operiunt incendiū. Quāq; igit tui me terreat magnitudo, inuitat tamen humanitas. A sacerdote uictimā salutis, a pastore præsidium ouis flagito. Faceat inuidia: Romani culminis recedat ambitio, cū successore piscatoris, & discipulo crucis loquor. Ego nullū primū, nisi Christū sequens, beatitudini tuæ, id est, cathedræ Petri cōmunionē cōsocior: super illā petram ædificatam ecclesiā scio. Quicūq; extra hanc domū agnū comederit, prophanus est. Si quis in arca Noe nō fuerit, peribit regnante diluuiō. Et quia pro meis facinoribus ad eam solitudinē cōmigravi, quæ Syriam iuncto Barbariæ sine determinat: nec possum sanctū dñi tot interiacētibus spatijs a sanctimonia tua semp expetere. Ideo hic collegas tuos Aegyptios cōfessores sequor: & sub onerarijs nauibus, parua nauicula delitesco. Non noui Vitalē, Meletium respuo, Ignoro Paulinū. Quicūq; tecū non colligit, spargit, hoc est, qui Christi nō est, Antichristi est. Nunc igitur prohdolor post Nicenam fidē, post Alexandrinū iuncto pariter occidente decretū, triū hypostasēon ab Arrianorū præfule & Campensibus, nouellum a me homine Romano nomen exigitur. Qui quæso ista apostoli prodidere? Quis nouus magister gentiū Paulus hæc docuit? Interrogemus, quid tres hypostasēs posse arbitrentur intelligi. Tres p̄sonas subsistentes aiūt. Respōdem⁹ nos ita credere. Nō sufficit sensus, ipm nomē efflagitat, quia nescio qd ueneni in syllabis latet. Clamam⁹, si qs tres hypostasēs, aut tria enypostata

Consulit Hiero. Petri scilicet
hoc est Roma. pontifice
in rebus fidei

Idem contrariū est, cū
nūq; sit corruptior p̄
des q̄ Romæ ubi sola p̄
h̄ int̄ p̄dū auaritia

Torquet nōnihil hoc. Qm ad
petrū. & super hanc petrū
cū nō sup hanc sit edificata
Lige sup hanc hanc. Eras.

hypostasis
fin

A enypostata, hoc est tres subsistentes psonas nō cōfiteatur, anathema sit. Et quia uocabula nō ediscimus, hæretici iudicamur. Si quis autem hypostasim usian intelligens: non in tribus personis unam hypostasim dicit: alienus a Christo est: & sub hac confessione, uobiscum pariter cauterio unionis inurimur. Discernite si placet obsecro, non timebo tres hypostases dicere: si iubetis, con datur noua post Nicenam fides: & similibus uerbis, cum Arrianis confiteamur orthodoxi. To ta sæcularium litterarum schola nihil aliud hypostasim, nisi usian nouit. Et quis rogo ore sacrile go tres substantias prædicabit: Vna est dei & sola natura, quæ uere est. Id enim quod subsistit, non habet aliunde, sed suum est. Cætera quæ creata sunt, etiam si uidentur esse non sunt, quia aliquādo non fuerūt: & potest rursum non esse, quod non fuit. Deus solus qui æternus est, hoc est qui exordiū nō habet, essentia nomē uere tenet. Idcirco & ad Moysen de rubo loquit: Ego sum qui sum. Et rursum: Qui est, me misit. Erant utiq; tunc angeli, cælum, terra, maria. Et quo modo cōmune nomen essentia, proprie sibi uindicat deus: Sed quia ille sola natura est perfe cta: & in tribus personis deitas una subsistit, quæ est uere & una natura est: q̄squis tria esse, hoc est tres esse hypostases, id est, usias dicit: sub nomine pietatis, tres naturas conatur asserere. Et si ita est: cur ab Arrio parietibus separamur, perfidia copulati: Iungātur cum beatitudine tua Vr sicinus, cū Ambrosio societur Auxentius. Absit hoc a Romana fide: sacrilegiū tantū, religiosa populorum corda non hauriant. Sufficiat nobis dicere, unam substantiā, tres personas subsistē tes, perfectas, æquales, coæternas. Taceantur tres hypostases: si placet, & una teneatur. Nō bo næ suspicionis est, cum in eodem sensu uerba dissentiuūt. Sufficiat nobis memorata credulitas.

Aut si rectū putatis tres hypostases cū suis interpretatiōib⁹ debere nos dicere, nō negamus. Sed mihi credite, uenenū sub melle latet, transfigurauit se angelus Satanæ in angelū lucis. Bene interpretant hypostasim, & cū id qd' ipsi exponunt habere me dicā, hæreticus iudicor. Quid tā anxie unū uerbū tenet: Quid sub ambiguo sermone latitant: Si sic credūt, ut interpretant, nō damno quod retinent. Si sic credo, ut ipsi sentire se simulāt, permittant & mihi meis uerbis suū sensum loqui.

B Quāobrem obtestor beatitudinem tuā per crucifixum, mundi salutē, per ho mousion trinitatem: ut mihi epistolis tuis, siue tacendarum, siue dicendarum hypostaseon detur autoritas. Et ne forte obscuritas loci, in quo dego te fallat, per baiulos litterarum ad Euagrium presbyterum, quem optime nosti dignare scripta transmittere, simul etiam cui apud Antiochiā debeam cōmunicare significes: quia Campenses cū Tharsensibus hæreticis copulati, nihil aliud ambiunt, q̄ ut autoritate cōmunionis uestre fulti, treis hypostases cū antiquo sensu p̄dicent.

PRAECEDENTIS EPISTOLAE SCHOLIA.

V Etusto.) Nam antiquissimæ hæreses ex oriente sunt ortæ, hoc est, Syria Phrygiaq;. **In** dississimā.) Sic em̄ interpretatur dñi tunicam inconsutilem: nempe concordiam ecclesiæ catholicæ. **Et Christi uineam.)** Interpretatur illud quod est in cantico mystico cap. 2. Ca pite nobis uulpes paruulas, quæ demoliuntur uineas. **Lacus contritos.)** Alludit ni fallor, ad illud quod est in epistola Petri secunda cap. 2. Hi sunt fontes sine aqua & nebula turbini bus exagitata. Quibus uerbis hæreticos describit. **Fons signatus.)** Hūc opponit lacubus cōtritis, & ec clesiæ ueritatē intelligit. **Elemēti liquētis.)** Sic appellat mare: ita Vergilius, Camposq; liquētes. **Vbi cūq; fuerit corpus.)** Locus est Luca cap. 17. Corpus, intelligit Christum, aquilas pios: iuxta illud: Sancto rū uelut aquila iuuetus renouabit. **Profligato.)** Id est profuso. Alludit ad parabolā euangelicā de filio p digō & frūgi. **Seminis puritatē.)** Semen accipit, euangelicā doctrinā. Atq; hæc mira extulit grandilo quentia, ac pompa uerborum. **Obruta sulcis.)** Conduntur em̄ semina, idq; in sulcis arui potissimum. **Patrum seruat.)** Opinor legendum, patris. Meminit em̄ parabolæ euangelicæ. **In lolium auenascq;.)** Eleganter dixit, degenerant. Nam hæc non sunt sui generis, sed ex degenerantibus frumentis, & uelut in aliam speciem transeuntibus. Idcirco superius dixit, referunt puritatem, quod opposuit degenerationi. **Nunc in occidente.)** Nam Romam in occidente ponunt, & occidentalis uocatur ecclesia. Hic fides in trega seruat. tur, cū oriens uarijs erroribus dissideret. **Aurea uasa.)** Alludit ad locū q est in secunda ad Timotheum epistola cap. 2. de uasis diuersis in magna domo. **Virgam ferream.)** Alludit ad illud psal mographi. Cōfringes eos in uirga ferrea. **Et æternū operiūt.)** Hoc ad lignea uasa retulit. **A sacerdo te uictimā.)** Argutissima distributio: pastoris est tueri gregē: sacerdotis dare uictimā. Victimā aut ap pellat sacrā doctrinā, qua populus pascitur. **Facessat inuidia.)** Inuidiam uocat, atrocitatē & odiū, quod odiosum sit ad hunc modum interpellare Romanum pontificem. Et Flagitamus, quod exigimus impro be. **Cum successore piscatoris.)** Ostendit Romanum pontificem oportere ab omni fastu alienissi mum esse, qui piscatori successerit, & qui crucifixi uices gerat, hoc est, humillimi.

Super

- C** *Super illam petram.*) Non super Romam, Nam fieri potest ut Roma quoque degeneret, sed super eam fidem, quam Petrus professus est, & hactenus Romana seruauit ecclesia, qua non alia minus laborauit haresibus. *Extra hanc domum.*) Hic Hieronymus omnino uidetur sentire omnes ecclesias debere sub esse Romanae sedis. *Pro meis facinoribus.*) Id est, acturus poenitentiam. *Syriam iuncta Barbaria.*) Est uatissima solitudo inter Syriam & Agarenos siue Saracenos, in qua primum uixit Hieronymus: aut certe secundo, hoc est post primam migrationem. *Sanctum domini.*) Vult eximia communione Antiochenae ecclesiae, & sub iei Romanae. Sanctum domini, uocat corpus Christi. *Collegas tuos.*) Adhaerentes Romanae sedi confessores, uocat sanctos monachos, uel potius episcopos. Nam illic erat Theophilus Alexandrinus. *Onerarijs nauibus.*) Quae maximae sunt. *Ignoro Paulinum.*) Is fuit Antiochenae ecclesiae episcopus a Lucifero institutus, ceteri quoque eiusdem ecclesiae fuerant episcopi, qui nec ipsi Arrianae hareseos nota caruerunt. Nam Vitalis uigessimus eiusdem ecclesiae fuit episcopus. Paulinus uigessimus secundus. Pro Miletio reposuimus Meletium, ex ipso diui Hieronymi Catalogo, in quo decem & septem enumerat episcopos, quos hostes potius habendos putat quam episcopos. Meletius autem prius Sebaste Armeniorum episcopus, ab Arrianis Antiochiam translatus fuit, in qua habita synodo, reiectoque uerbo homousij, Macedonianum dogma uindictarunt. *Nicena Synodus.*) Ea prima fuit, ad quam conuenerunt treceti & octodecim episcopi: in hac damnatus est Arrianus error de homousio, hoc est, quo negabant patrem, filium & spiritum sanctum eiusdem esse essentiae. Est autem Nicea oppidum Bithyniae. *Post Alexandrinum.*) Nam huius ecclesiae primum fuerat presbyter Arrius. Vnde depulsus totum fere mundum traxit in suum errorem, fauentibus aliquoties & imperatoribus. Ac parum abfuit, quin Romanam quoque possederit. Vnde legimus post damnatum in Nicena Synodo Arrium, rursus Alexandriae cōsedisse episcopos, inter quos fuerint & Romani aut certe occidentalis ecclesiae nonnulli, & ob id ante collegas uocat. Id factum est Athanasio ac ceteris episcopis per Constantem imperatorem ab exilio reuocatis. *Trium hypostaseon.*) ὑποστάσεις Gracis uarie significat. Aliquando substantiam, ut in epistola ad Hebraeos, χαρακτήρ ὑποστάσεως, id est, figura substantiae. Aliquoties fundamentum aut materiam, ut ad Hebraeos Fides est substantia rerū sperandarū ὑποστάσις. & ad Corinthios, in hac substantia gloria, ἐν ταύτῃ ὑποστάσει. Philosophi substantiam uocant, quae non sit accidens, uel quod p se sit & non in sit, uel quod subsistat accidentibus. Grac tres hypostases ponunt, accipientes hypostasim pro persona. Porro uox ea inaudita erat Romanis. *Cam pensib' nouellū.*) In fine huius epistolae scribit, Capenses cum Tharsesibus haereticis copulatos fuisse. Porro Campe Graece sonat flexus, & Ptolameus Capas Ciliciae partem facit, ni fallor eam, qua inflexo littore Issici sinus deflectit ad Syriam qua uicina est Antiochia iuxta Chalcidem. *Vsian.*) οὐσίαν, quod Quintilianus uertit essentiam. Nam hypostasis ambiguū est nomen. *Cauterio inurimur.*) Cauterium ναυήτορ ferrum est ignitum, quo inuruntur notae. Id olim fiebat tyronibus ad militare sacramentum admittendis. *Ad quod hic alludit Hieronymus loquens de baptismo.* *Per homousiam.*) Homousion arbitror legendum. Nam est communis generis ὁμοούσιον, ut sit adiectiuum, ob ὁμοῦ simul, & οὐσία essentia, hoc est eiusdem siue consimilis essentiae. *Saecularium litte.*) Hoc est philosophorum, ut dictum est. *Vna est.*) Sic ordinata, Vna & sola dei natura est, hoc est uere habet esse. *Quod subsistit.*) Exponit uocem hypostasis dictam παρὰ τὸ ὑποστάσαι, hoc est a subsistendo. *Vrsinus.*) Vrsicinus opinor legendum. Nam hic diaconus Damaso in suscipiendo pontificio cōpetitor fuit, res in basilica Sicinini ferro gesta est, adeo ut multi utrinque ceciderint. Sed uicit Damasus, Vrsicinus in Neapolitanam ecclesiam transfertur. Apparet autem hunc Vrsicinum Arrianae factionis fuisse, cuius fuit & Liberius, qui tertius a Damaso praecessit. *Ambrosio societur Auxentius.*) Auxentius praecessit Ambrosium, sed Arrianae factionis. Post cuius seram mortem Ambrosio subrogato, omnis Italia ad rectam fidem conuertitur. *Obscuritas loci.*) Quonia in humili & ignoto loco latitabat.

ARGVMENTVM EPISTOLAE SEQVENTIS.

Cum uehementer uexaretur Hieronymus, & Damasus non responderet, de eadem re iterum interpellat, blanditijs & obtestationibus adnitens ut impetret responsum.

HIERONYMVS DAMASO.

Importuna in euangelio mulier, tandem meruit audiri: & clauso cum seruis ostio: media licet nocte ab amico panes amicus accepit. Deus ipse qui nullis contra se uiribus superari potest, publicani precibus uincitur. Niniue ciuitas, quae peccato periit, fletibus stetit. Quorsum ista tam longo repetita principio: uidelicet, ut paruum magnus aspicias: ut diues pastor, morbidam non contempnas ouem. Christus in paradysum de cruce latronem intulit. Et ne quis aliquando seram conuersionem putaret, fecit homicidij poenam martyrium. Christus, inquam prodigum filium reuertentem latus amplectitur, & nonaginta nouem pecudibus derelictis, una ouicula quae remanserat: humeris boni pastoris aduehitur. Paulus ex persecutore fit praedicator, oculis carnalibus excacatur: ut mente plus uideat: & qui uinctos Christi famulos ducebat ad concilium Iudaeorum: ipse postea etiam de Christi uinculis gloriatur. Ego igitur, ut ante iam scripsi, Christi uestem in Romana urbe suscipiens, nunc Barbaro

Blanditijs & obtestationibus
adnitens impetrare ab ipso
responsum

A baro Syriae limite teneor. Et ne putes alterius hanc de me fuisse sententiam, quid mererer, ipse constitui. Verum (ut ait gentilis poeta) Caelum non animum mutat, qui trans mare currit. Ita me incessabilis inimicus post tergum secutus est, ut maiora in solitudine bella nunc patiar. Hinc enim praesidijs fulta mundi Arriana rabies fremit. Hinc in tres partes scissa ecclesia ad se rapere me festinat. Monachorum circa manentium, antiqua in me surgit autoritas. Ego interim clamito, si quis cathedrae Petri iungitur, meus est. Meletius, Vitalis, atque Paulinus tibi haerere se dicunt, possem credere, si hoc unus assereret. Nunc aut duo mentiuntur, aut omnes. Idcirco obtestor beatitudinem tuam, per crucem domini, per necessarium fidei nostrae decus, per passionem Christi, ut qui apostolos honore sequeris, sequaris & merito: ita in solio cum duodecim iudicaturus sedes; ita te alius senem cum Petro cingat: ita municipatum caeli cum Paulo consequaris: ut mihi litteris tuis apud quem in Syria debeam communicare significes. Noli despiciere animam, pro qua Christus mortuus est.

PRÆCEDENTIS EPISTOLAE SCHOLIA.

Mportuna in euangelio.) De Chananæa sentit, de qua legis Matthæi cap. 15. **Et clauso cum seruis.)** De improbo petitore panis: legis Lucae cap. 11. **De uinculis gloriatur.)** Vincit in domino: & in carceribus sapit. **Christi ueste.)** Nempe in baptismo, nisi mauis accipere de presbyterio. Hoc dicit ut ostendat, a quo honore, quo se poenitentia causa deiecit. **Syriae limite.)** Qui Syria a Saracenis determinat. **Ipse quid mererer.)** Suapte sponte relegatus fuit in uasta illa solitudine, non ab alio damnatus, uelut poenam irrogans sibi, quo peccata lueret adolescentia. **Caelum non animum mutat.)** Horatii carmen ex epistolis, in eos qui commutato loco putant se felicius uicturos, cum frustra mutetur caelum, si idem animus circumferatur. **Praesidijs fulta mundi.)** Hoc est fauore imperatoris & armis militum. **In treis parteis.)** Vel propter treis hypostases, uel propter tres episcopos, inter se certantes, Meletium, Vitalem atque Paulinum. **Ita in solio.)** Obtestantis est sermo. **Ita te alius.)** Alludit ad praedictum a Christo Petri martyrium: Cum autem senueris, alius cinget te, & ducet quo non uis. Optat autem Damaso martyrium. Quid si quis ad eundem modum obtestatus fuisset Iulium secundum? Quid impetrasset: crucem opinor. **Municipatum caeli.)** Quod Paulus municeps fuerit Romanae urbis, natus in Tharso Ciliciae.

Iulij exortatur impius animus

ARGVMENTVM EPISTOLAE SEQVENTIS.

Nulla haeresis grauius afflixit totius orbis ecclesias, quam Arrianorum, adeo ut Romanum quoque pontificem & ipsos inuoluerit imperatores. Ac tota res pendebat a duobus uocabulis. Caeteri treis hypostases ob uocabuli nouitate exhorrebant. Arriani *δυσία* & *ὁμοούσιον* uelut inauditas uoces refugiebant. Sed Arriani hoc fuere pestilentiores, quod saecularibus litteris & Aristotelicis argutis essent instructi, quod hic & ipse testatur Hieronymus. Ea nata fuit ab Arrio quodam Alexandrinae ecclesiae presbytero. Qui depulsus ab ecclesia, multos in suam traxit factionem. Aduersus quam Nicena Synodus primum collecta est, frequentissimo episcoporum conuentu, damnatum Arrianorum dogma. Deinde uisum est, orbem in concordiam redigere, receptis qui uellent resipiscere. Id actum est in concilio Arminensi, sub Valente & Claudio. Recepti complures episcopi, qui cum Arrio senserant. Damata Arrii doctrina, pronunciata est catholica fides, in quam unanimiter conclamatum est ab omnibus. Solum id concessum Arrianis petentibus, ut uisae & hominij uocabulum tolleret, quod multos sua offenderet nouitate, praesertim cum caetera omnia conuenirent. Id tum studio pacis simpliciter donatum est, ne res pusilla obstaret publicae concordiae. At ex subdola pace, natum est acrius bellum, Arrianis eius synodi auctoritate ad suae factionis patrocinium detorquentibus ut erant callidi uasque. Proinde multis denuo concilijs actum est aduersus Arrianos, quibusdam episcopis conuenientibus, quibusdam palam Arrianam haeresim ut catholicam defendentibus. Sed Arrio mortuo, plures episcopi restituti sunt ab exilio, inter quos praecipui Athanasius, & Hilarius. Atque rursus damnata passim synodis minoribus haeresi Arrianorum, disputari coepit: an episcopi qui cum Arrio senserant recipi debuerint non adempto prius honore episcopali. Non conuenire simul & poenitentis agere personam & episcopi. Deinde an essent rebaptizandi, qui ab Arrianis fuissent baptizati. Hieronymus non uult adimi honorem episcopo resipiscenti, in eo duntaxat casu. Deinde dissentiens a Cypriano & Hilario, non uult rebaptizari, quos Arriani baptizauerant. Atque hisce de rebus disputat per dialogum, facitque Luciferianum quendam, cum orthodoxo disputantem, perinde quasi res agatur in porticu quadam, frequenti hominum corona, & notarijs excipientibus quae dicuntur: id quod fieri solitum in huiusmodi disputationibus, uel ex Augustini libris palam est. Inducit autem Luciferianum, cedentem mini meque pertinacem, id quod non solent haeretici, nimirum quo certior esset uictoria. Porro Luciferianorum haeresis nata est, ut putant, a Lucifero quodam episcopo Smyrniensi, qui prius in ecclesiasticam communionem clémenter receptus, rursus in ueterem factionem relapsus fuit. At diuus Augustinus in libello ad Epiphanium ullam inter haeticos fecerint mentionem. Meminit huius & Platina in Liberio, sed inter eos qui in exilium fuerint relegati, quod a Liberio missi ad Constantium noluerint Nicenam dare fidem. Meminit eiusdem & Hilarius in primo libro ad Caesarem Constantium, sed honorifice. Meminit & Hieronymus

LL in appendice

C in appendice Chronicon Eusebii, Luciferi cuiusdam, qui post restitutum Athanasium, fuerit una cum Eusebio reuocatus. Meminit & in Catalogo scriptorum illustrium: uerum hunc testatur nunquam Arriana prauitate contaminatum fuisse, quo loco mortem hominis recenset. Vnde palam est Augustinum ambiguitate nominis fuisse deceptum. Liber autem est in primis lectu dignus, quippe qui multa salutaria praecepta complectatur, de uita episcoporum, uariam item suppeditet historiae noticiam, de primis haeresibus, de actis synodi Ariminensis. Atque utinam diuus Hieronymus ad eundem modum, cum ceteris quoque disputasset, & minus conuictorum ingessisset. Quamquam hoc uicium, si modo uicium fuit, ingenti cuidam & immoderatae Christianae fidei zelo condonari par est. Hic minus iniquus est in Arrianos, fortasse ob id quod Arrianorum dogma uideatur ex Origenis haustum libris: & id temporis cupiebat Origenem ab omnibus legi doctrinae duntaxat gratia. Nondum enim exarserat illa in Origenianum nomen inuidia. Cyprianum amice excusat: at in Hilarium non sine stomacho loquitur, quem & alias notauit in expositione osanna, sed tamen citra conuictum, & in epistola ad Paulinum stilum taxat, quod interdum longioribus periodis sit inuolutior: etiam si eodem in loco sanctum illum uocat, nisi quis illud sanctus addidit. Quamquam omnes ecclesiae sancti tum sancti uocabantur.

HIERONYMI

ORTHODOXI ET LVCIFERIANI DIALOGVS.

Roxime accidit, ut quidam Luciferi sectator, cum alio ecclesiae alumno odiosa loquacitate contendens, caninam facundiam exercuerit. Asserebat quippe uniuersum mundum esse diaboli: & (ut iam familiare est eis dicere) factum de ecclesia lupanar. At ille e contrario rationabiliter quidem, sed importuno & loco & tempore defendebat, non sine causa Christum mortuum fuisse, nec ob Sardorum tantum mastrucam dei filium descendisse. Quid plura? dum audientiam & circulum lumina iam in plateis accensa soluerent: & inconditam disputationem nox interromperet, consputa pene inuicem facie recesserunt. Hoc tamen his qui affuerunt statuentibus, ut in secretam porticum primo mane conueniretur: quo cum iuxta placitum omnes conuenissent, uisum est utriusque sermonem a notariis excipi. Atque ita cunctis residentibus, Helladius Luciferianus dixit. Hoc primum mihi responderi uolo, utrum Arriani Christiani sint, an non? **ORTHODO.** Ego plus (inquit) interrogo, utrum ne omnes haeretici Christiani sint? **LVCIFERIANVS** dixit: quem haeticum dixeris, Christianum negasti. **ORTHODO.** d. Omnes ergo haeretici Christiani non sunt? **LVCIFE.** d. Iam superius audisti. **ORTHODO.** d. Si Christi non sunt, diaboli sunt. **LVCIFE.** d. Nemo dubitat. **ORTHODO.** d. Si autem diaboli sunt, nihil refert haeretici sint, an gentiles. **LVCIFE.** d. Non refello. **ORTHODO.** d. Igitur praesentium inter nos habemus, de haeretico sic loquendum, sicut de gentili. **LVCIFE.** d. Plane fixum. **ORTHODO.** d. Quare nunc ut libet, quoniam inter nos constat haeticos gentiles esse. **LVCIFERIA.** d. Quod interrogatio mea cogere uolebat, expressum est, haeticos Christianos non esse. Nunc restat conclusio. Si Arriani haeretici sunt, & haeretici omnes gentiles sunt: & Arriani gentiles sunt. Si autem Arriani gentiles sunt, & constat nullam societatem ecclesiae esse cum Arrianis: id est cum gentilibus: manifestum est uestram ecclesiam quae ab Arrianis, id est, a gentilibus, episcopos suscipit, non tam episcopos recipere, quam de capitolio sacerdotes, ac per hoc antichristi magi synagoga, quam Christi ecclesia debeat nuncupari. **ORTHODO.** d. Ecce impleta est prophetia: Parauit mihi foueam, & ipse incidit in eam. **LVCIFE.** d. Quo nam modo? **ORTHODO.** d. Si Arriani (ut dicis gentiles sunt) & Arrianorum conuentacula castra sunt diaboli, quomodo in castris diaboli baptizatum recipis? **LVCIFE.** d. Recipio, sed poenitentem. **ORTHODO.** d. Prorsus quid dicas non intelligis. Quisquam ne gentilem recipit poenitentem? **LVCIFE.** d. Ego simpliciter in exordio sermonis omnes haeticos gentiles esse respondi. Verum quia captiosa interrogatio fuit primae questionis, tibi palmam tradens, ad secundam ueniam, in qua aio laicum ab Arrianis uenientem recipi debere poenitentem, clericum uero non debere. **ORTHODO.** d. At qui in prima quaestione quam obtinuisse me dicis, etiam secundam obtinui. **LVCIFE.** d. Doce quomodo obtinueris. **ORTHODO.** d. Nescis & laicos & clericos unum habere Christum, nec alium neophytis, alium episcopis esse deum? Cur ergo non recipiat clericos, qui recipit laicos poenitentes? **LVCIFE.** d. Non est episcopi, ipsum lachrymas fundere pro peccatis, & corpus attrectare domini. Non est episcopi ad fratrum genua prouolui: & de sublimi loco eucharistiam ministrare populo. Aliud est lugere quod fueris, aliud neglecto peccato, in ecclesia uiuere gloriosum. Tu qui hesterno die sacrilegus creaturam dei filium praedicabas, qui quotidie peior Iudaeis, blasphemiarum lapides in Christum iacebas: cuius manus sanguine plenae sunt: cuius stilus lancea militis fuit: ad unius horae conuersionem uirginem

Ecce qui ponderis olim erat
sacramenta ministrare populo
purior esse dicebat Episcopus